



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Dub. III. Quid sit dispositio, & degradatio, à quo, & ob quam causam fieri
possit?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

DUBIUM III.

Quid sit depositio & degradatio, à quo,
& ob quam causam fieri
possit?

Subjici solent Suspensioni Depositio & Degradatio (etsi censuræ non sint, ut dictum est cap. 1.) ob similitudinem, quam habent cum suspensione, cum utraque sit ab Ecclesiastico ordine, aut beneficio. Differunt autem à suspensione, quod illæ auferant ipsum jus radicale, & titulum beneficii, idque in perpetuum: suspensio non item: Porro depositio genericè accepta, alia est verbalis, quæ absolutè depositio dicitur: alia Realis, quæ dici solet degradatio.

Resp. I. Degradatio est privatio executionis officiorum, & beneficiorum simpliciter & in toto, & absque spe restitutionis, facta cum certa solemnitate, & privatione privilegii Clericalis, tam Canonis, quàm fori, ita ut sæculari curiæ subdatur.

Dixi, *Executionis*: quia ordo ipse non potest tolli. Interim degradatus tenetur ad votum castitatis, si fuit in sacris, & ad Horas, nisi has fortè pœna, ad quam damnatur, v.g. tiremes, vel aliud impediatur.

Resp. II. Depositio verbalis est similis privatio, sed sine solemnitate dicta, & relicto utroque privilegio, Canonis & fori.

Resp. III.

Resp. III. Clerici possunt degradari à suo Episcopo, sed non ab inferioribus illo: deponi tamen possunt ab eodem per Vicarium.

Resp. IV. Depositio fieri potest in casibus iure expressis, & delictis: non tamen nisi gravioribus, arbitrio iudicis. Ubi notat *Laym.* crimen debere esse enorme, id est, unum ex maximis. Degradatio similiter fieri potest in casibus tantum gravissimis, quales sunt v.g. crimen hæresis manifestum, falsatio literarum Apostolicarum. Sodomia frequentata, gravis calumnia proprio Episcopo interrogata, v. *Laym. hic c. 5. & Fill. t. 18, c. 8.*

CAPUT IV.

De Interdicto

DUBIUM I.

Quid sit & Quotuplex?

Resp. Est censura Ecclesiastica, prohibens divinum officiorum, sacramentorum aliquorum, & Ecclesiasticæ sepulturæ usum, quatenus talis est. Quod addo, quia excommunicatio eodè privat, quatenus est communicatio cum fidelibus: suspensio verò propriè non illum usum, sed exercitium potestatis Ecclesiasticæ impedit. *vid. Laym. l. 1, t. 5, p. 4, c. 1. Bon. d. 5, p. 1.*

Resp. II. Interdictum dividitur I. In locale, quod immediatè locum afficit; & in Personale, quod immediatè afficit personas; & Mixtum, quod immediatè